FVLVII VRSINI VITA

AVCTORE

IOSEPHO CASTALIONE.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Typis Vareſij. MDCLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

FVLVII VRSINI VITA

AVCTORE
IOSEPHO CASTALIONE.

FVLVIVS Vrſinus patre quidem Illuſtriſſimo matre verò humili nec iuſtis nuptijs Romæ ortus eſt anno Domini MDXXX. Patris nomen neque ipſe teſtamento ſuà manu ſcripto indicauit, neque aliunde cognoſcere licuit. Fuiſſe certè Illuſtriſſimum ex ordine Sancti Ioannis Hieroſolymitani Præceptorem, ſeu Commendatorem, vt vulgò appellant, ab Achille Statio viro doctiſſimo cognoui, ex Vrſinis autem Mugnanæ Dominis eum genus deduxiſſe ab ipſomet Fuluio Vrſino accepiſſe ſe Fuluius Archangelus ſpectatæ fidei vir mihi narrauit. Matris item nomen & genus ignoratur. Operæpretium eſt rerum varietatem, viciſſitudinemque in Fuluio contemplandam proponere, vt à Propertia Micinella primaria & cor-

cordatiſſima femina Marij Delphini vxore, Horatij Lancellotti Cardinalis Ampliſſimi auia materna ſeptimum & octuageſimum annum agente accepi. Conſuetudinem habebat Fuluij pater cum venuſta muliere, qua cum matrimonium non eſſet, ex qua Fuluium ſuſcepit, tollendumque ſplendidè curauit. Puero iam grandiuſculo in victum cultumque maximi ſumptus ſuppeditabantur. Per vrbem equo vectus, multis comitantibus monſtrabatur Illuſtriſſimi & præpotentis viri filius. Magna ſubinde facta eſt rerum mutatio ex parentum diſſidio. Fuluius cum matre valere iuſſa repente factus eſt ex beato miſer, eumque ſub anguſto & ſordido tecto non eſſet vnde aleretur, licet à matre victum manu quæritante ſuſtentaretur: vbi primum per ætatem licuit, in Baſilicam Lateranenſem deductus, Canonicorum Collegio, quod Capitulum vocant, inſeruire, Clericique munus obire occepit. Erat in eo Collegio vir humaniſſimus Gentilis Delphinus litterarum & antiquitatis ſtudioſus: is de Fuluij ingenio ſimulat-

latque ex epitaphij demonſtrati accurata deſcriptione periculum feciſſet, puerum vltro accerſit, laudat ſedulitatem, modeſtiam probat. Quid multis opus eſt? eum in domum ſuam recipit educandum, inſtituendumque litteris Latinis pariter ac Græcis liberaliter curat. Ad cognitionem rei antiquariæ ipſe perducit. Mox reditibus Eccleſiaſticis, Clericatuque in eadem Baſilicà vltro delato iuuenem ſatis ſuperque eruditum ſpectatumque benigne auxit, omnique officio & pietate proſecutus eſt. Beneficij verò memor Fuluius Gentilem Delphinum parentis loco ſemper habuit, mortuique memoriam vnicè coluit: eius effigiem penicillo expreſſam apud ſe religiosè habuit. Delphinos omnes, à quibus ipſe diligeretur perinde ac ſi ex ea gente ortus eſſet, amauit, ornauit, charitate incredibili complexus eſt, gratiam denique quam maximè potuit, eis retulit: ad ea, quæ commemoraui Delphinorum in Fuluium beneficia Canonicatus quoque Lateranenſis, qui Gentilis Delphini fuerat per

eius Gentilis ſtudium acceſſit, patuitque Fuluio Delphinorum domus & res familiaris quoad vixit. Mira in adoleſcente ingenij vis, incredibile ſtudium qua Græcis qua Latinis Auctoribus emendandis, illuſtrandiſque. Continentia verò, religione, comitate grauitatis plena omnibus admirationi erat. Ea iuuenis prædicatione permotus Ranutius Farneſius Cardinalis Sancti Angeli, Pauli Tertij Papæ Nepos, hominum doctiſſimorum amator & fautor, inter familiares ſuos Fuluium honeſtiſſimo loco habuit, Bibliothecæ ſuæ præfecit. Poſt Ranutij mortem, apud Alexandrum Cardinalem Farneſium Ranutij fratrem, eodem loco perpetuo fuit. Tanta Fuluius humanitatis, eruditioniſque gloria florebat, vt ampliſſimo cuique Cardinalium acceptus gratuſque eſſet. Cum Cardinale Granuella eruditorum patrono ſæpe conuiuabatur. Ad Antonium Cardinalem Carrafam Congregationis Bibliorum Præfectum cum Petro Ciaccono & Flaminio Nobile viris Doctiſſimis certis diebus commeabat: acutiſſimè de re-

bus

bus propoſitis diſſerebat: Per eum Cardinalem à Gregorio XIII. Pontifice Maximo beneficentiſſimo penſionem ducentorum Cameræ ducatorum ſuper Eccleſia Ciuitatis Auerſæ in Campania reſeruatam conſecutus eſt. Aſcanius Columna, Alexander Montaltus Cardinales Fuluium maximi fecerunt. Sixtus V. Clemens VIII. Summi Pontifices multum homini detulerunt. Cum Antonio Auguſtino Apoſtolicæ Rotæ Auditore, moxque Archiepiſcopo Tarraconenſi, Achille Statio, Octauio Pantagatho, Latino Latinio Viterbienſi, Petro Ciaccono, Gabriele Faërno viris eruditiſſimis ſumma ei neceſſitudo fuerat. Quanti autem à Senioribus Fuluius fieret vel ex vno Petri Victorij loco intelligi poteſt: is enim Libro variarum lectionum XXXVI. capite XXII. *Auxilio*, inquit, *mihi fuit ad hunc locum reſtituendum magni ingenij, raræq; eruditionis vir Fuluius Vrſinus, qui cum hanc fabulam contuliſſet cum antiquo & eodem fideli libro, quæcumq; illic reperit à peruulgata lectione variata ad me amanter miſit, vt eſt humaniſsimus & optimorum Au-*

ctorum omni ratione expoliẽdorum ſtudioſiſsimus. Quam etiam ipſius laudem naturæq; bonitatem celebrauit vir doctiſſimus, & de omni vetere memoria egregiè meritus Carolus Sigonius, cum & ipſe in re, quæ faceret ad inſtitutum quoddam veterũ Romanorum, cognoſcendum liberaliter ab eo adiutus fuiſſet. Neque ſolum à grandioribus natu, coætaneiſque miris laudibus ornabatur, ſed ex iunioribus vnumquemque iudicij, eruditioniſque laude florentem in admirationem ſui pertrahebat. Ex Gallia, Hiſpania, Belgio, Germania, Britannia, & Polonia quamplurimi mortales litterarum ſtudioſi in Vrbem confluebant, vt Fuluium Vrſinum viderent, atque alloquerentur. Mitto cæteros, ad Iuſtum Lipſium venio, qui magnum ſibi porro nomen doctiſſimis libris editis comparauit. Adoleſcens Romæ Fuluij ædes aſſiduè frequentabat, ab eius colloquio doctior diſcedebat, eumque veluti parentem ſuſpiciebat, quodque in numero Familiarium Cardinalis Granuellæ eſſet Lipſius, Fuluiuſque apud eum

Car-

Cardinalem interdum ſeu pranderet, ſeu cœnaret, is pincernæ munus Fuluio libens præſtabat. Ab omnibus denique quibus notus erat, ob humanitatem vnicè diligebatur, atque obſeruabatur. Erat ſanè Fuluius quàm maximè frugi & in ſumma frugalitate ſplendidus, elegans, liberalis, quare familiares ſuos, quorum opera ad victum, cultumque vteretur benigne alebat. Equo iuuenis per vrbem, ætate verò ad ſenium vergente rheda vehebatur: nuſquam luxu diffluens, nuſquam ſordidus, veſtibus nunquam ſericis, ſed talaribus ex lana, vt Clericum decet, perpetuo eſt vſus. Maximos quidem ſumptus in coëmendis vetuſtioribus ſignis, ſimulachriſque marmoreis, tabuliſque æreis, numiſmatis, gemmis inſculptis, anulis ſignatorijs faciebat: quo tamen in ſtudio ſuperabatur, quà diſcernendi vera à confictis vſu & peritia, quà numero & raritate earum rerum incomparabili à viro clariſſimo Lælio Paſqualino, qui Pompeio optimè merito erudi*tiſſimo fratris filio hæredi* inſtituto theſaurum antiquitatis mo-

riens reliquit, Canonicatu S. Mariæ Maioris eidem prius reſignato. Libros Fuluius impenſo ſtudio & pretio cùm Latinos, tum Gręcos manuſcriptos comparauit. In ijs Terentium admirandæ vetuſtatis, Virgilij Luſus, & Petrarchæ Rithmos Hetruſca lingua compoſitos manu auctoris ſcriptos & deſcriptos, qui fuerant Cardinalis Bembi, & quorum gratia Patauium ab omnibus nationibus celebrabatur. Signa, gemmas, anulos aureos, numiſmata ex ære, argento, auro Odoardo Cardinali Farneſio hæredi inſtituto attribuit. Libros calamo exaratos Bibliothecæ Vaticanæ, impreſſos Horatio Lancellotto Apoſtolicæ Rotæ Auditori ſibi chariſſimo, qui ob Iuris prudentiam ſingularem & pietatem à Sanctiſs. D. N. Paulo V. Pontif. Max. Cardinalis eſt factus, legauit. Rogatum verò Cardinalem Bibliothecarium Apoſtolicum voluit, vt libris ei Bibliothecæ ab ſe donatis nomen Fuluij inſcribi iuberet. Sic enim teſtamento cauit. *Volo autem & à Bibliothecario Cardinale, qui erit pro tempore enixè peto, vt per cuſto-*

cuſtodes Bibliothecæ curet in ſingulis meis libris inſcribi Fuluius Vrſinus huic Bibliothecæ donauit. Hæredem quidem vniuerſalem Illuſtriſſimum Odoardum Cardinalem Farneſium fecit, ſed nonnullis legatis exhauſit. Legauit autem Delphinis ſexaureorum millia, quibuſcunque autem aliquid donauit aut reliquit, adiecto ſemper elogio, id fecit. Multa ſcripſit atque edidit, in ijs librum de Familijs Romanis ab Vrbe condita ad Auguſti Octauiani tempora per numiſmata Cōſularia confirmatis, cui acceſſerunt triginta familiæ ex libro Antonij Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, à quo sūmopere diligebatur, opus certè magnum, & perutile ad antiquitatis cognitionem impreſſum Romę MDLXXVII. Notas ad leges & ſenatus conſulta adiectas ad librū de legibus Antonij Auguſtini Romæ impreſſas MDLXXXIII. Notas ad Feſtum Pompeium deſcriptum ex libro Bibliothecæ Farneſianæ excuſas Romæ MDLXXXI. Appendicem ad Triclinium Petri Ciacconij Romæ impreſſam MDLXXXVIII. Virgiliū collatione Grę

corũ Scriptorũ illuſtratũ Antuerpiæ excuſũ MDLXVII. Notas in omnia Ciceronis opera Ant. impreſſas MDLXXXI. Scholia & adnotationes in Lyricorum Græcorũ fragmenta Antuerpiæ impreſſa MDLXVIII. Notas ad Catonẽ, Varronem, Columellam de re Ruſtica; item ad Calendarium Ruſticum Farneſianum, & veteres inſcriptiones Fratrũ Arualiũ Romę impreſſas MDLXXXVII. Arnobium ab ſe emendatum imprimẽdũ Romæ curauit MDLXXXIII. Fragmenta hiſtoricorum ab Antonio Auguſtino collecta à Fuluio emendata: Notas item ad Salluſtium, Cæſarem, Liuium, Velleium, Tacitum, Suetonium, Spartianum, & alios Antuerpiæ impreſſas MDXCV. Clarorum veterũ virorum imagines iterum excudendas cum elogijs Gaſp. Schoppio viro doctiſſimo & ſui ſtudioſiſſimo mandauit. In ſumma quoque ſenectute lectioni, ſcriptionique operam quotidie dabat, amicorum ſalutationes humaniſſimè admittebat. Officio in Eccleſiam Lateranenſem ſuo nunquam defuit. Aediculam in ea ſiue Sacellum ad Sacrarium

extruxit, altare excitauit, ante altaris gradus ſepulturam humi ſibi fecit, in quam inferri corpus ſuum mandauit. Sacerdotes duos, quos Cappellanos vocant, inſtituit, qui Miſſas in eo Sacello bis ſingulis ſeptimanis alternis vicibus celebrent, & choro Lateranenſi cum alijs cantoribus inſeruiant, ijs ſuſtentandis, alendiſque duo millia aureorum aſſignauit, ex quorum fructibus merces menſtrua eiſdem perſoluetur, eoſque à Delphinæ familiæ Romanæ primario nominari perpetuo voluit. In matrem quoad vixit maximè fuit pius: eius in matrem pietatis teſtis erat apud me Achilles Statius Luſitanus vir doctiſſimus atque optimus. Matris ſolitudinem ſolatus eſt Fuluius, eamque incredibili charitate aluit. Mortuæ quoque animam ſuffragijs diuinis ſubleuandam curauit. Annum agens ſeptuageſimum teſtamentum ſua manu ſcriptum condidit, ſubſcriptum obſignatumque à ſe & ſeptem Concanonicis teſtibus, Notario clauſum tradidit, Idib. Februarijs MDC. ipſo anno Iubilæi. Teſtandi verò facultatem à Sanctiſs. D.N. Clemente VIII. Pont.

Max.

Max. pro eius in ſe beneuolentia obtinuit: indies verò cùm valetudine infirmiore vteretur,& menſe Maio deterius ſibi eſſe intelligeret,in Delphinorũ ędes conceſſit, vbi ſedulò beneuolèque curari eſſet ſolitus, ſed vis morbi tenuiores vires decumbentis oppreſſit, quare die XVIII. eius menſis occubuit.In epitaphij autem lapide erratum eſt fortaſſe fabrile. nam pro his notis XV. Kal. Iun. inciſæ ſunt plures XVIII.Kal. Iun. tot enim dies ab Idib. Maijs ad Kal. Iunias omnino ſuperſunt. Equidem diem obitus Fuluij mihi acerbiſſimum accuratè in libello meo aduerſariorum adnotaueram. Epithaphium à me deſcriptum appingam & teſtamenti, quod ab Illuſtriſſimo,& Reuerendiſſimo Domino meo Horatio Lancellotto Cardinale,qua eſt humanitate vtendum acceperam, exemplum adijciam, ſi prius perquam pauca adſcripſero: Fuluius Vrſinus ſtatura fuit procerà, facie dignitatis plena, moribus ſuauiſſimis,mirifica pietate,fide & caſtitate litterarum Græcarũ & Latinarũ,Romanæq;antiquitatis lumen cum Fuluio extinctum plerique non immeritò dolent.

FINIS.

TESTAMENTVM
FVLVII VRSINI

Canonici Eccleſiæ S. Ioannis in Laterano.

IN nomine Sanctiſs. Trinitatis. Ego Fuluius Vrſinus Canonicus ſubdiaconus Sacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ, ex Dei benignitate, integra mente, rectiſque ſenſibus, licet corpore & viribus imbecillus, ac tenui prorſus valetudine, cogitans aduentare iam tempus illud, quo mihi annum agēti LXX. ex hac vitæ ſtatione decedendum ſit, & idcirco volens de rebus meis qualeſcumque illæ ſint, diſponere, habens teſtandi facultatem à S. D. N. Clemente PP. VIII. mihi conceſſam per breue ſub anulo piſcatoris, die quinta Maij, Anno MDXCII. in qua confirmantur aliæ quoq; facultates mihi quomodolibet tam de iure communi, quam alias competentes, hoc teſtamen-

ſtamentum meam vltimam in ſe continens voluntatem condo, facio, & ordino in hunc qui ſequitur modum, cum proteſtatione tamen, vt ſi forte, quod penitus ignoro, reperiatur in eo aliquid datum perſonæ, ſeu perſonis incapacibus, & de iure prohibitis, id omne ac ſi non eſſet datum habeatur, cum ſit mens & voluntas mea, hanc meã diſpoſitionem conformare, & regulare cum diſpoſitione iuris, & Apoſtolicis conſtitutionibus, præſertim Pij PP. V. fe. recor.

Ac primum cum omni humilitate ac reuerentia commendo animam meam omnipotenti Deo, qui me creauit, & redemit per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, vt intercedentibus aduocatis, & patronis meis beatiſſima Virgine Maria, & Sanctis Io: Baptiſta, & Euangeliſta, velit pro ſua miſericordia quæcumque ego aduerſus legem & voluntatem eius turpiter commiſi, mihi ignoſcere, & ex hac periculoſa, & difficili nauigatione in cæleſti, & tranquillo portu collocare, in quo redemptionem animæ meæ &

vitam

vitam ſpero ſempiternam,confiſus meritis Ieſu Chriſti D.N., qui cum patre, & Spiritu ſancto eſt Deus benedictus in ſęcula. Deinde à S.D.N.Papa cui pacē, & incolumitatem perpetuam opto,poſt pedum oſcula beatorum, paternam benedictionem humiliter peto.

Corpus autem meum volo & ordino, vt abſque vlla pompa,ſtatim poſt obitum, in lignea theca incluſum,deferatur noctu ad Eccleſiam Lateranenſem, vbi in ædicula ſeu ſacello, ex conceſſione Capituli & Canonicorum per acta Secretarij die XI. Decēbris MDXCIX. cōfirmata publico inſtrumento capitularis Notarij die XIX. Ianuarij MDC. à me ſumptibus meis vel hærede meo in eam quam deſignaui formam conſtruendo, ſub altari ibidem à me, vel hærede meo erigendo, & vt infra dotando, plumbeo loculo reconditum ſepeliatur. Die autem ab obitu octauo volo pro ea tantum vice, vt in Choro Eccleſiæ Lateranēſis celebretur ſollemnis Miſſa mortuorum, pro ſalute animæ meæ, in qua adſit totus Clerus Eccleſiæ cum ſolita diſtributione per

execu-

executores huius teſtamenti curanda ex ijs pecunijs, quæ perſolutis prius iuſtis funebribus,ac debitis,ſi quæ erũt, magis paratæ videbuntur. Die vero anniuerſario depoſitionis volo, vt in eodem Choro celebretur perpetuo alia ſimilis Miſſa cum eorundem interuentu, & eadem diſtributione, cui pro ea quam habeo facultatem lego ſupellectilem meam argenteam, quæ ſecuta morte reperta fuerit in vaſculis, & ſimilibus vtenſilibus, vt ea vendita, & in pecuniam redacta, ex ea emantur loca montium non vacantium, quorum fructus aſſignentur huic diſtributioni, inter preſentes faciendæ, niſi à me aliter ei prouiſum fuerit. In altari autem, quod erit in ea, quam modo dixi, ædicula ſeu ſacello à me erigendum & dotandum, volo & ordino, vt bis ſingulis ſeptimanis à duobus Cappellanis legatur alternis vicibus Miſſa pro anima mea,& matris meæ, atque omnium fidelium defunctorum. Quibus Cappellanis alendis & ſuſtentandis aſſigno duo millia aureorum, quæ habeo ad meam diſpoſitionem in viginti locis

non

non vacantibus Montis Sanitatis Populi Romani, quæ ſi contigerit redimi, volo emi alia totidem loca ſimilia, ex quorum fructibus conſtituatur illis menſtrua merces pro rata ſingulis, quos volo eſſe perpetuos in Eccleſia Lateranenſi, eligi verò & nominari à primo ex Familia Delphinorum, nobilium ciuium Romanorum, cum quibus magna mihi intercedit conſuetudo & familiaritas, inſtitui autem ſic nominatos à Capitulo, & Canonicis, facta in Bullis de me, qui eos ordinaui, mentionē, ita vt ſi eam familiam, quod Deus auertat, contigerit extingui, vt res ſunt mortales, nominatio huiuſmodi ſpectet ad Archipresbyterum pro tempore in Eccleſia Lateranenſi futurum. His verò Cappellanis, præter onus legendi eas Miſſas, quas modo dixi, iniungo aliud etiam onus, pſallēdi ſcilicet in Choro Lateranenſi, & canendi cum alijs cantoribus, cum quibus volo eos eſſe eodem iure. ita tamen, vt hac eorum acceſſione, non diminuatur numerus conſuetus in Eccleſia Lateranenſi cantorum, cum

mea intentio ſit augere in ea Eccleſia diuinum cultum, non autem minuere ex hac mea ordinatione, quæ vt in hac quoque parte ſeruetur, curabit præcipue pro ſua pietate Archipresbyter pro tempore futurus. Quod ſi talis mea diſpoſitio, & voluntas, quam nullo vnquam tempore mutari volo, aut infringi, etiam in vim ſpetialis gratiæ, ſeu diſpenſationis Apoſtolicæ, per Capitulum ſteterit & Canonicos (quod non credo) quo minus executioni mandetur, tum quoad corporis ſepulturam eo, quo ordinaui loco, tum quoad Cappellanorum ordinationem, tunc & eo caſu, Canonici & Capitulum teneantur & debeant reficere omnes expenſas, ſi quæ à me factæ erunt in conſtruenda ædicula ſeu ſacello ſupradicto, & eius Altari, executores autem mei curent corpus meum ex Eccleſia Lateranenſi tranferri ad Eccleſiam Sanctę Mariæ in Aequiro de Vrbe, ibique prout eis decentius videbitur, ſepeliri, declarans deuolutum & translatum ad eius Eccleſiæ Archiconfraternitatem Orphanorum ſcilicet,

cet, & Orphanarum omne ius tam dictarum expenſarum, quam inſtitutionis dictorum Cappellanorum, reſeruata tamen eorum nominatione Familiæ Delphinorum pro vt ſupra. Atque hanc meam voluntatem, & diſpoſitionem quoad ſepulturam, & ordinationem Cappellanorum, ſi aliqua de cauſa mihi viſum fuerit mutare, extabit huiuſmodi mutatio in folio exarato manu mea, meique ſigilli impreſſione munito, vt infra dicetur.

Quoniam vero patrimonialia bona mihi non ſunt, quorum cauſa conſanguineorum meorum, ſi qui ſunt, rationem habere debeam, idcirco volens ea bona, quæ mihi ſunt à Deo collata, & induſtria mea parta & acquiſita in pias cauſas, & in perſonas benè de me meritas diſtribui, iure legati do, & dono Bibliothecæ Palatinæ, quæ dicitur Vaticana, omnes, & ſingulos meos libros tam Græcos, quàm Latinos, manuſcriptos, & impreſſos, in quibus licet impreſſis eſt aliqua in marginibus notatio manu doctorum virorum, & omnes alias præterea ſcripturas, quæ cum

dictorum librorum nominibus deſcriptæ ſunt in Indice ſeu Inuentario à me ſubſcripto, meoque ſigillo ſignato. Quos quidem libros, qui magni ſunt nominis, & pretij, & ſcripturas, volo ad communem ſtudioſorum vtilitatem ſeruari in ea Bibliotheca, quæ magno mihi olim adiumento fuit, cum iuuenis ibi Græcis litteris, & Latinis operam darem, tum etiam, vt extet perpetuum quoddam quaſi monumentum meæ erga Sedem Apoſtolicam deuotionis, cum qua cupio huiuſmodi legato conſcientiam meam exonerare, ſi quos fructus ex reditibus meis Eccleſiaſticis, dum vixi male forſan perceperim.

Volo autem & à Bibliothecario Cardinale, qui erit pro tempore, enixe peto, vt per Cuſtodes Bibliothecæ curet in ſingulis meis libris inſcribi, *Fuluius Vrſinus huic Bibliothecæ donauit*. Et ſi contigerit aliquos libros, & ſcripturas in conſignatione huius legati non reperiri, admoneat idem Bibliothecarius eos, qui libros huiuſmodi aut ſcripturas clam detinuerint, incidiſſe in eam excommunicationem à qua

non poſſunt abſolui, niſi à Romano Pontifice iuxta priuilegium Vaticanæ Bibliothecæ, ad quam ſpectare & pertinere debebunt dicti libri, & ſcripturæ huius legati iure. Curent igitur tam Cuſtodes Vaticani, quam alij, ne ſchedam quidem aliqua ex ijs libris & ſcripturis depereat.

Sanctiſſimo D. N. Clementi Papæ VIII. grati animi monumentum licet exiguum do, dono, dicoque memoriæ cauſa duo inſignia numiſmata aerea magna theca rubea incluſa, quorum alterum habet caput Conſtantini Imp. alterum Criſpi Cæſaris: itemque duo ærea parua numiſmata eiuſdem Conſtantini, in quorum vnius antica parte caput eſt ipſius Conſtantini galeatum cum celebri illo ſigno Chriſti nomen ſignificante; in alterius autem poſtica labarum cum eodem ſigno, quæ quidem quatuor numiſmata cupio, & ab eodem Santiſſimo humiliter peto, vt poſt eius obitum mandet ſeruari in Bibliotheca Vaticana, vt omnibus in promptu ſint Eccleſiaſticæ antiquitatis curioſis.

Senatui populoque Romano lego caput marmoreum L. Cornelij Prætoris, cui à tergo pendet anulus æreus, fidem faciens appenſum olim fuiſſe in aliquo publico loco ciuitatis Tiburtinæ cum ænea tabella, quam ſimul lego, antiquiſſimis Romanis litteris inciſam, cupiens eam in Capitolio reponi cum ſupradicto capite marmoreo eo potiſſimum loco, quo Bruti caput æneum hodie ſeruatur.

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. meo Alexandro Peretto Cardinali Vicecancellario, cuius multa extant in me merita, legati iure do, & dono duo numiſmata ærea magna, vnum Græcum Antinoi adoleſcentis, in cuius inuerſa parte ſignum eſt Mercurij, alterum Latinum Titi Imp. in quo à tergo eſt Amphitheatrum, vulgo dictum Coliſeum. Itemque lego, quod puto eidem Illuſtriſſimo D. meo gratum futurum, opus minio elaboratum manu Iulij Clouij, in quo eſt effigies ipſius Iulij, cum duabus ſororibus non tamen eius.

Eccleſiæ Sancti Auguſtini de Vrbe lego ſcuta xxv. & totidem Sanctæ Ma-

riæ de Populo,ſoluenda ex ijs pecunijs, quæ ex ſupellectile mea,cum vendetur, habebuntur.

Item lego ſcuta xxv. Eccleſiæ Sancti Andreę dictę vulgo della Fratta, in qua conditum eſt corpus eximij viri Angeli Colotij Epiſcopi olim Nuceri-ni, & de me bene meriti,cum onere le-gendi Miſſam mortuorum ſingulis men-ſibus pro anima eius.

Item lego Archiconfraternitati Orphanorum, & Orphanarum de Vrbe ſcuta ſimilia xxv. pro ſalute animæ meæ ex pecunijs collectis de mea ſu-pellectile.

Reuerendiſſimo D. Horatio Lan-cellotto Auditori, Rotæ huius mei te-ſtamenti executori infra nominando, cui multum me debere ſentio, legati iure do, & dono libros meos omnes impreſſos tam Græcos, quàm Latinos ſolutos, & ligatos, qui non ſunt nota-ti in Indice, ſeu Inuentario librorum, quos Bibliothecæ Vaticanæ ſupra le-gaui. & præterea dono eidem Reue-rendiſſimo Dom. Horatio duo muſica inſtrumenta, quorum alterum vulgo

Grauiorganum vocatur, alterum vero Cymbalum, opus vtrumq; excellentium artificum, et à me pro eorum raritate decenter ornata, quibus vti & frui poſſit horis ſucciſſiuis, & cum vacat ab alijs eius occupationibus.

Reuerendiſſimo Domino Gentili Delphino Epiſcopo Camerinenſi, cuius in me plurima & quidem magna extant merita, eodem legati iure do millia aureorum duo, ex ijs pecunijs, quas infra nominabo, ex quibus volo emi loca montium non vacantium, quæ poſt obitum eius, quem Deus ſeruet diu, ſpectent perpetuo ad domum & Familiam Delphinorum.

Illuſtri viro Domino Flaminio Delphino, huius mei teſtamenti executori deſignato, quem ego à teneris eius annis vnice ſemper dilexi, lego anulum meum cum illuſtri gemma Topatij, quem geſtet tanquam pignus quoddam mei in illum amoris.

D. Propertiæ Delphinæ de Miccinellis vxori quondam viri multum de me benemeriti Marij Delphini, fœminæ primariæ & lectiſſimæ, cui nihil me non

debe-

debere ſentio, eodem legati iure dono ſcrinium ex hebeno, & ebore elaboratum, quod mihi Illuſtriſſimus Dominus meus Odoardus Farneſius Cardinalis pro ſua liberalitate donauit.

Item lego picturam Lucæ de Olanda, quæ Sancti Hieronymi imaginem habet, Patroni domus eius.

Item Illuſtri D. Mario Delphino, filio Illuſtris viri D. Flaminij ſupra nominati, puero bonæ indolis, & magnæ ſpei, legati iure do, & aſſigno quatuor aureorũ millia ex ijs pecunijs, quas infra nominabo. Quod legatum à me illi aſſignatur ob innumera beneficia, quæ ego accepi à tota Delphinorum Familia, quorum obliuiſci ſine flagitio non poſſum.

Volo autem vt ex ſupradicta pecunia emantur tot loca montium non vacantium, quæ nunquam vendi, aut alienari debeant, ita vt eorum fructus perpetuo vſui ſint Familiæ Delphinæ cum alijs duobus millibus ſupra legatis Reuerendiſſimo D. Gentili Epiſcopo Camerinenſi poſt eius obitum.

Georgio Barzino de Sabaudia,

qui apud me multos annos vixit, & aurigæ officio bene functus eſt, lego ſcuta centum ſoluenda ex ijs pecunijs, quæ ex mea ſupellectile poterunt haberi.

Itemque alijs famulis, & ſeruitoribus meis præter lugubre veſtimentum, quod dari eis volo, lego eam pecuniæ ſummam, quæ habita ratione eorum ſeruitutis, erit à me declarata in ſcriptura manu mea ſcripta meoque ſigillo conſignata.

In reliquis autem bonis meis quibuſcumque mobilibus & immobilibus, iuribus, nominibus, pecunijs, ſupellectile, quam habeo, & habiturus ſum, & in ſumma quicquid tempore mortis meæ continget ad me ſpectare, vel quomodocumque ad meam diſpoſitionem, & facultatem pertinere videbuntur, in ijs, & præcipue in rebus, de quibus extat Inuentarium manu mea ſubſcriptum, meoque ſigillo conſignatum ſub titulo, *Inuentarium rerum inſigniorũ Fuluij Vrſini*, in eo enim habentur omnia numiſmata mea tam aurea, & argentea, quam ærea, nec non gemmæ variæ, & camei magnę æſtimationis, & valoris; prętereà

ſigna

ſigna ænea, & imagines illuſtrium virorum ex marmore; itemque tabellæ æneæ, & lapideæ inſcriptæ litteris Grecis, & Latinis, nec non picturæ multæ excellentium pictorum magni pretij, horum, inquam, bonorum omnium, aliarumque rerum mearum, qualeſcumque illæ ſint, quas intelligo quam ſint tenues, vniuerſalē hęredem meū inſtituo, & ore meo nomino Illuſtriſs. D. meum D. Odoardum Ferneſium Card. S. Euſtachij, quem ob ſummam in Deum pietatem, & ſingularem erga me beneuolentiam, iam inde à teneris eius annis mihi perſpectam, & probatam, dignum iudicaui, & elegi, qui ob eius rerum earum, quæ habentur in ſupradicto Inuentario cognitionem, & intelligentiam gratus mihi ſuccedat hæres, earumque ſit integerimus conſeruator futurus; confidens pro eius charitate, & qua eſt bonitate ſingulari, eum hoc hæreditatis onus non grauatè ſuſcepturum, ad quod tamē facilius ſuſtinendū, huius mei ita ordinati Teſtamenti, ſeu vltimæ voluntatis executores, & adiutores ordino, & nomino Reuerendiſſimum

mum

mum D.Horatium Lancellottũ Auditorem Rotæ, & Illuſtrem D. Flaminium Delphinũ, rogans eos pro mutuo inter nos amore,non grauentur hoc vltimum officium mihi præſtare,ſed pręfato Illuſtriſſimo D.meo, in exequenda hac voluntate mea præſto eſſe, & vt rectè, & expeditè exequi poſſit, conſilio illum & opera adiuuare,adſiſtendo illi,quamuis pro eius modeſtia non fuerint ab eo requiſiti,vt huius meæ diſpoſitionis impedimenta, & dubia, ſi qua forte oriri contigerit, auctoritate ſua penitus tollantur. Volo autem,vel potius,cum omni reuerentia peto ab eodem Illuſtriſſimo Domino meo, vt pro rerum ſupradictarum in Inuentario expreſſarum recognitione, dignetur infra certum tempus, vel trium, vel quatuor annorũ, pro vt ſibi commodius videbitur, ſatiſfacere duobus illis ſupranominatis legatis, vni duorum millium, alteri quatuor millium aureorum, detractis prius ex hac ſumma pecunijs ijs, ſi quæ forte ad perficiendam ædiculam ſeu ſacellũ, de quo ſupra,impenſæ ab eo erunt, legatarijs interim data idonea reliquarum

pecu-

pecuniarum aſſignatione,quas volo non tanquam penſum ab eo exigi, ſed de liberali eius manu accipi tanquam beneficij loco. Voluiſſem enim libenter ſi rationes meæ paterentur, hac quoque in parte ſincero eius,atque explorato in me amori, cumulate à me reſponderi. Cui tamen illud pro certo poſſum affirmare, res iſtas qualeſcumque illæ ſint, multo maiori à me pretio comparatas fuiſſe, quam ſit ſumma illa duorum ſupradictorum legatorum, & fortaſſe dimidio plus, ita vt illud plus poſſit eſſe loco Falcidiæ,& Trebellianicæ,quando id, quod minime credendum eſt,in mentem ipſius Illuſtriſſimi D. mei, alicuius admonitu venire poſſet. Quod ſi præfatus Illuſtriſſimus D. meus poſt ſpatium duorum, vel trium menſium poſt obitũ meum, harum rerum, quæ in Inuentario continentur hæreditatem,quas ſecuta morte mea apud executores meos ſeruari volo,aliqua ex cauſa non curet adire,tunc & eo caſu volo,& ordino res illas, quæ in ſupradicto habentur Inuentario,vendi omnes ſimul non diſtractas, ſed vni ſi fieri poterit, ne res tam

raræ, & tanto à me collectæ pretio, & labore in diuerſas multorum diſtrahantur manus, ſed ab vno potius talium rerum ſtudioſo, quod maxime cupio, aſſeruentur. Ex pecunijs, verò ab earum rerum venditione habitis, volo, & ordino, vt duobus legatarijs à me modo nominatis, ne damnum aliquod patiantur ſatisfiat, quo meliori modo viſum fuerit executoribus meis, quos rogo vt nomine meo de h..c poſtrema mea voluntate velint ſignificare Illuſtriſs. D. meo, ſupplicentq; cum omni reuerẽtia, vt qua benignitate, & fauore erga me viuentem, omnibus in rebus, & rationibus meis vſus eſt, eandem mihi mortuo pro eius benignitate velit exhibere.

Quapropter volo, vt imago Pauli PP. Tertij ab excellenti pictore Titiano depicta, detur legati nomine Illuſtriſſimo Domino meo, ſi hanc hęreditatem adire recuſauerit, vt extet hoc ſaltem meę erga illum obſeruantię perpetuum monumentum. quam quidem ſupradictam imaginem Pauli Papæ Tertij cum alijs rebus ſupra à me legatis volo, & ordino tunc deleri ex aliarum rerum

Inuen-

Inuentario,in quo vel potius in hac tota mea diſpoſitione, ſi quid præterea fuerit à me vel additum, vel detractum, vel aliquo modo aliter diſpoſitum, ac nunc in præſenti Teſtamento pro mea voluntate,& poſt maturam deliberationem diſpoſui, cupiens talem additionem,detractionem, vel mutationem ſecretam eſſe me viuente,& ad euitandam teſtium rogationem,& ſollemnitates in codicillis requiſitas,volo,& mando,vt ſi contigerit poſt obitum meum reperiri aliquam ſcripturam mea manu ſcriptam, & ſubſcriptam, meoque ſigillo ſignatam, quæ contineat aliquod legatum,ſiue aliquam aliam diſpoſitionem, preſertim quoad ſepulturam,& ordinationem Cappellanorum ſupradictorũ, volo, inquam, & mando, vt illud legatum,& illa diſpoſitio perinde habeatur, ac ſi in præſenti Teſtamento eſſet inſertum,aut inſerta, etiam ſi dicta ſcriptura à nullis teſtibus ſit ſubſcripta, nec alicui Notario cõſignata, quia volo huiuſmodi priuatam ſcripturam à me faciendam, meoque ſigillo muniendam,tale robur habere,ac illi ita fidem adhiberi,

ac ſi eſſet inſerta in huiuſmodi meo teſtamento, & fuiſſet rogatus de ea publicus Notarius coram idoneis, & ſufficientibus teſtibus.

Sacroſanctæ Lateranenſi Eccleſiæ volo conſignari per executores, & hæredem meum, tabellam eburneam cum imaginibus Græcorum quorundã Sanctorum, & litteris nomina eorum indicantibus Græcè inſculptis. quam tabellam volo ſeruari in ea Eccleſia ornatam hebeno impenſa mea; quia monumentum eſt ſatis antiquum.

Excellentiſs. & Illuſtriſs. D. Ioanni Antonio Vrſino Duci S. Gemini, mando reſtitui cũ gratiarum actione, duos cameos auro incluſos, in quorũ altero inſculptũ eſt Veneris ſignum cũ duobus Cupidinibus, in altero Nimpha quędam equo marino inſidens. ſunt enim dicti camei ipſius Excellentiſs. Ducis, qui mihi eos donec viuerem dedit ſeruandos.

Illuſtri Domino Fabricio Carraſæ, qui habitat, & viuit Neapoli, volo reſtitui librum ſcriptum in pergamena charta Græcum cõmentarium S. Baſilij

con-

continentem. & preterea librum Galeni manuſcriptũ in papiro. itemq; volumen quoddam conſiliorum innominati medici recentioris, qui libri pertinent ad dictum Illuſtrem Dominum Fabricium, qui mihi eos iam pridem ſeruandos dedit. Commentario autem ſupradicto S. Baſilij in Pſal. deeſt principium, & finis.

Illuſtri Familiæ Delphinæ mando reſtitui numiſmata omnia argentea, quę ſunt inuoluta chartis cũ ſupraſcriptione Delphinorum. Itemque monetas aureas, & argenteas cum eadem ſupraſcriptione chartis ſimiliter inuolutas, quæ ſpectant ad eam Familiam, & tantum vſus earum fuit meus, ita permittentibus ipſis Illuſtribus Dominis Delphinis.

Executores huius mei vltimi Teſtamẽti, ſeu vltimæ voluntatis meæ facio, & ordino, quos ſupra nominaui, Reuerendiſs. D. Horatium Lancellottũ, et Illuſtrẽ D. Flauium Delphinum quibus omnem eam do, & tribuo amplam, & liberã facultatem, ac poteſtatem, ſupradicta omnia pro vt à me diſpoſita

ſunt

ſunt exequendi, quam ego ipſe haberem,& qua vti poſſem ſi viuens mentis meis ſententiam executioni demandarem.

Atq; hoc aſſero eſſe meum Teſtamentum,& meam vltimam voluntatem, & diſpoſitionem, quam ſi tanquam Teſtamentum ex quacunq; legitima cauſa valere non poterit, volo codicillorum iure,aut in vim cuiuſcumq: alterius voluntatis, et diſpoſitionis valere, omnibuſque alijs huçuſque ſi quæ ſunt per me çonditis, quas irritas facio, præualere.

Et quia mea intentio, et voluntas eſt, vt huiuſmodi mea diſpoſitio,me viuente ſecreta ſit,et nulli nota,ideo illam in his folijs à me manu mea ſcriptam, meiſq; ſigillis tribus clausã, cõſignabo Domino Quintiliano Gargario Notario Çuriæ Capitolinę,cui ſeu cuicũq; in Off.ſucceſſori,amplam do facultatẽ,ſecuto obitu meo, illã ad inſtantiã cuiuſcumq; ſuper bonis, et hæreditate mea intereſſe prętendentibus,propria aucto ritate,abſq; vlla Iudicis aditione,licentia,decreto, vel mandato, et abſq; manuum,

nuum, vel ſigilli recognitione, vel alia de iure requiſita ſolemnitate aperiendi, & publicandi, & de ea vnum, vel plura inſtrumenta conficiendi. & in fidem hic me manu mea propria ſubſcripſi die XXI. Ianuarij MDC.

Ita teſtor, & diſpono
Ego Fuluius Vrſinus manu propria.

D. O. M

FVLVIO. VRSINO. ROMANO. NOBILI
BASILICAE. CONSTANTINIANAE
CANONICO. RELIGIOSO
HVIVS. SACELLI. FVNDATORI. PIO
VIRO. GRAECA. LATINAQ. FACVNDIA
VTRIVSQ. ANTIQVITATIS. NOTITIA
ET. OMNI. ELEGANTIORI. LITTERATVRA
CLARISSIMO
QVIBVS. IN. STVDIIS. TANTVM. VNI
CVM. VIVERET
OB. DILIGENTEM. AC. ASSIDVAM. EORVM
TRACTATIONEM
ET. IVDICII. ACVMEN. ATQ. CANDOREM
DELATVM. EST
VT. AEVI. SVI. ORACVLVM. HABITVS
CVM. IN. PATRIA. TVM. PER. EXTERAS
GENTES. CELEBERRIMVS
SVMMA. APVD. PONTIFICES
SACRVMQ. SENATVM. GRATIA. ET
AESTIMATIONE. FLORVERIT
MORTVI. AVTEM. GLORIAM. APVD. POSTEROS
NE. VLLO. VNQVAM. TEMPORE. INTERCIDAT
EXCELLENTIS. INGENII. RECONDITAEQ.
DOCRINAE
AC. PLANE. IMMORTALITATE. DIGNA
QVAE. EDIDIT. SCRIPTA. CVSTODIENT
ODOARDVS. CARD. FARNESIVS. HAERES
EX. TESTAMENTO
GENTIS. SVAE. ALVMNO
HORATIVS. LANCELLOTTVS
APOSTOLICAE. ROTAE. AVDITOR
FLAMINIVS. DELPHINVS. EXECVTORES
AMICO. OPTIMO. POSS
VIXIT. ANNOS. LXX. MENS. IIII. DIES. XXVII
OBIIT. XVIII. KAL. IVNII
ANNO. CHRISTI. SAL. MDC

TYPOGRAPHVS

LECTORI.

Vt ſcias Lector quibus ipſe debeas, Vitam Fuluij Vrſini doctiſsimus Lucas Holſtenius, Teſtamentum Ioannes Baptiſta, & Laurentius Mari vere Αὐτάδελφοι, *vere* Φιλάδελφοι *ex ſuis cimelijs communicarunt. Teſtamentum in Actis Quintiliani Gargarij collatum eſt cum ipſius Vrſini Autographo. Epitaphium legitur prope Sacreſtiam in Sacello S. Mariæ Magdalenæ ab eodem fundato in Baſilica Conſtantiniana.*

OCTAVII PANTAGATHI VITA

AVCTORE

IO: BAPTISTA RVFO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Typis Vareſij. MDCLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENT.MO ET REVEREND.MO

PRINCIPI

FRANCISCO

BARBERINO

S.R.E. CARD. VICECANCELLARIO.

QVANTVM illud eſt, doctrinas excoluiſſe ad faſtigium & admirationem, Artes exercuiſſe ad exemplar & miraculum! Attamen ſi vitio caderent, ſi infortunio interirent, fieri poſſet, vt ſubinde reuocarentur, aliquando reſtituerentur, ſuffectis alijs inuentoribus, nouis ingenijs & ſublimibus prolatis & redditis.. Cum enim Naturæ curæ ſit, humano generi conſulere, illud in dies propagando, & continua ſucceſsione ad ſæcula traducendo, & plurimum virtutis, plurimum beneficentiæ ſemper mater eadem fe-

rax & fœcunda retineat, certum eſt, cum ÿ ipſi, qui nobis animi monumenta, manuum opificia ſtruxerunt reliqueruntque, humanæ conditionis fuerint, poſt illos, alios pares ſubſtituturam; nec ſineret quærere quod perdidiſſemus, non lamentis fatigare ſortem, non votis repoſcere amiſſa. Hac Magiſtra ſcientias edocti Maiores noſtri, ijſdem informarentur poſteri. Bono igitur aptoque ſubſidio nobis prouiſum eſt, ſi Artes ingenuæ, ſi ſeruiles deperderentur omnino, in commune noſtrum vires reparante, & vices ſuas diuerſis fœtibus referente Natura. Singulorum longe diſpar ratio, ideoque minus optabilis. Non eius, non vllius intereſt ſeruare, aut ſeponere quempiam. Abſumuntur homines quotidie quà acerba, quà tempeſtiua morte, tolluntur à cœtu, ab amicis, extrahuntur à Magiſtratibus, & his diebus miſerrimè exitiali morbo ingruente deuorantur irritis vbique ſuorum lacrymis: nec eſt amplius, qui eumdem reducat, iterum addicat, actionibus, dictis moribus, inſtitutis vnà pereuntibus. Obliuio omnia occupat, æuum obſcurat. Nullum remedium apud nos, apud futu-

ros

ros mortalitas cuiuſque opperitur. Ita ſingillatim deſinimus, in vniuerſum manemus, & duramus. Homini cauetur, Petrus deſpicitur. Sola Hiſtoria illud ipſum, quod Natura generatim operatur in ſortem humanam, operatur in vnoquoque noſtrum, reficiendo nos, donandoque perpetuitate effigie actibus eoſdem vt viuentes ſpiranteſque. Annales demonſtrant, quales fuimus, dant videndos perinde ac viximus. Prudenter expetiti labores ad aliorum, & propriam famam! Immortales ſtudiorum calami, qui nos cum maioribus componitis, qui abſentes aduocatis, vultum vocem redintegratis, qui Bella, Regna, Reges, & præterita omnia reportatis ſub oculos. Quid igitur ſi tantopere omnes capiat amor, ſi deſiderium delectet legendi ſcrutandiue res geſtas, & imperitum etiam ſcriptorem in manibus verſari appetamus, vt anteactorum ſcenam venemur & conſequamur? Certe qui hoc intelligit & amat, fouet quæcunque huc pertinent. Verum ſi quiſquam hodie, Tu Eminentiſsime Princeps ille es. Non enim ſolum Latinorum & noſtratium, ſed Græcorum &

exterorum codices tua celebri adſeruas Bibliotheca,& quæ nos latēt,luce & publico iure donas. Hac *ſpe* Octauij Pantagathi *Vitam Tibi trado conſignoque, Viri ſummorum ingeniorum teſtimonijs illuſtris. Non in alium ſui temporis ita conſpirant & coniurant, quàm in eum ad vnum omnes laudibus,ſed (ſi nō pro meritis) inſigniter certè exornatus explet animum; at ipſe negligens ſui, nihil vigiliarum nobis reliquit, & penè eius memoria intercideret, niſi diuiſus, ac diſperſus inter plures extaret, ex quibus collectum hic apponimus. Iam mihi non eſt precibus laborandum, vt libenter excipias, fruſtra onerarem benignitatem tuam.Cauſam iuuat genius comparandi retinendique monumenta litteratorum & educendi litteratos ipſos: & iamdiu didicimus ope & auxilio tuo vitam ijs redijſſe, ſibique ſuperſtites ſpirare cum ſcriptis ſuis,numquam in poſterum fama deſituros, quæ ſi alijs nominibus, hoc vno amabilior ſuauiorque ſupererit Tibi quatenus in precio ius faſque memoriarum.*

VI-

VITA OCTAVII PANTAGATHI.

HOMINVM is error, & fallacia eſt, vt vnuſquiſque ſibi bona cuncta velit, felicitatem plenam præſumat, commoda omnia induat. At nimirum res ſecus accidit; vel nunquam, vel rarò compos votorum quis inuenitur, & pro beneficio plerumque pœna exigitur, malo precio miſeriarum ſæpe emitur proſperitas: Quantum tollimur, tamtundem præmimur. Amat lares ſuos ciuis, ſed vrgetur paupertate: diues fœnore abundat, æmulatione tabeſcit: decori ac dignitati inuidet, ignotus, deſitus, procul à faſtu, & à Magiſtratu: bellis mari terraque exercetur dubius victoriæ, & anxius Princeps. Octauius Pantagathus, de cuius vita, & moribus ſcribimus, adeo nactus ſublime, &

erectum ingenium, vt nemo profana, & ſacra, nemo tempora, origines, & inſtituta rerum, immo & ſcientiæ altiora tractare aptius, explicare felicius potuerit: nihil tamen ſcriptis exceptum ad noſtras manus permiſit, nihil ad noſtram diem pertulit; licet ad finem quædam produxerit, alia tantum inchoauerit. Paſſim ei triumphus gloriæ decernitur, laborum fructus non videmus. Inops in alieno recipitur, qui refundere vbertatem, qui copiam præſtare ſolitus erat. Ornamentis, & veſte caret, qui alijs ſuppeditarat. Doctrinas deſpondit, nuſquam fœtus edúcit parens: Præter leges, præter naturam etiam, in ſinu dum filios nutrit, ſunt qui ſine mancipatione ſibi adoptent. Sic ſortem humanam expertus, infelicitatem tolerat, qui felix: infœcunditatem ſortitur, qui fœcundus. Manet tamen apud ſui æui ſcriptores, celebraturque, ſed nomine tenus: parum accurata poſteritatis ſuperior ætas præter laudes eius nihil meminit; Nos vt potuimus reuocantes memoriam, hic Tibi damus amice Lector. Si ex

ſtylo

ſtylo minus probabitur, ea cauſſa certè placebit, quod cum videatur optimum, quod multum deſideratur, quod diu exquiritur, hic ipſe iamdiu expoſcitur.

Octauius Bagattus primò, Pacatus mox & Pantagathus, clarus patria, maioribus obſcurus, naſcitur Brixiæ, nobili Italię in Cenomannis Vrbe: pueritiam & adoleſcentiam pietate, ac bonis moribus, vel ex eo laudabiliter excoluit, quod cum per ætatem licuit Fratrum Seruorum Beatæ Mariæ Virginis inſtituto in Sancti Alexandri eius Ordinis Templo adſcribi voluit, datò ad experimentum conſtantiæ tyrocinio. Inde Lutetiam Pariſiorum, alteras Athenas, confirmata iam ætate ad Philoſophiæ, & Theologiæ ponenda rudimenta conceſſit. Incertum ſponte ſua an conſilio, vel iuſſu Præſidum Religionis, quibus curæ eſt æſtimare, & promouere Iuuenum ingenia, vt imbuta bonis artibus in vtilitatem, & vſum cedant. Exploratum certè eſt Octauij indolem vehementi deſiderio, quo nec difficilioribus, nec obſcurioribus retardaba-

dabatur (vnde plures diligentiam minuunt, operam frangunt) appetiſſe, egreſſura modum, & auiditate occupaſſe inopportuna, quo ad ætatē. Multis iam tunc inſtructus auctuſque documentis latij ſermonis erat non apud Pomponium Letum Romæ, vt quidam ſuſpicati ſunt ex inſcriptione libelli de Magiſtratibus eiuſdem ad quemdam M. Pantagathum, cum Pomponius ſeculum quartum ſupra decimum non ſuperauerit, & tunc Octauius admodum puer erat, ſed apud doctos Magiſtros conijcere par eſt. Igniculi virtutum, & ſemina nobis indita à natura, inſtructoris arte excitantur, & commouentur, & Brixianus tractus ferax eſt Virorum, eloquentia & doctrina Clariſſimorum. facerem igitur Præceptorem humanarum litterarum Fauſtinum Ciuicum, vel Ioannem Brittanicum, vtrumque Brixianum, & doctiſſimum, & temporis, quo Octauius erat erudiendus, & propior vero ad mouerem eum, & adſcriberem Brittannico: is enim tunc præcipuus, & maximæ exiſtimationis ob commentarios in præcla-

clariſſimos Poëtarũ, Ouidium, Perſium, & Statium; & quia in obſeruationibus linguæ Latinæ mirificè addictus habebatur. Sed Pariſijs Collegij Sorbonici Auditor in primis fuit, vtriſque ſatis congruum, ſatis aptum accidit, præceptoribus optimis, capax genius ſubditur. In hac ſede, & litteraria officina ſemper ſollicitus, ne ſibi tempus elaberetur, anxior, & intenſior agere, diſcere à ſolidioribus, ſequi doctiores, alios percontari, quibuſdam dubitationes anteponere, in aduerſaria multa referre, vnde inſignia Doctoratus Iuriſprudentiæ, & Theologiæ promeritus, & conſequutus, Magiſter mox declaratur, & vbi olim diſcipulus ea fama Theologiam docuit, qua facilitate didicerat. Hoc temporis non minus ornamenti ſibi comparauit ex neceſſitudine, & alloquijs eorum, qui omnem vim, & aciem ingenij in veteres Scriptores conferentes, eloquentiam, et artificium rimantur, ſignatis diligenter cuiuſque characteribus, dictionibus, moribus, inſtitutis: eoque plenus, & diues cognitionis euaſit, vt na-

tum

EMINENT.MO ET REVEREND.MO

PRINCIPI

FRANCISCO

BARBERINO

S.R.E. CARD. VICECANCELLARIO.

QVANTVM illud eſt, doctrinas excoluiſſe ad faſtigium & admirationem, Artes exercuiſſe ad exemplar & miraculum! Attamen ſi vitio caderent, ſi infortunio interirent, fieri poſſet, vt ſubinde reuocarentur, aliquando reſtituerentur, ſuffectis alijs inuentoribus, nouis ingenijs & ſublimibus prolatis & redditis.. Cum enim Naturæ curæ ſit, humano generi conſulere, illud in dies propagando, & continua ſucceſsione ad ſæcula traducendo, & plurimum virtutis, plurimum beneficentiæ ſemper mater eadem ferax

rax & fœcunda retineat, certum eſt, cum iÿ ipſi, qui nobis animi monumenta, manuum opificia ſtruxerunt reliqueruntque, humanæ conditionis fuerint, poſt illos, alios pares ſubſtituturam; nec ſineret quærere quod perdidiſſemus, non lamentis fatigare ſortem, non votis repoſcere amiſſa. Hac Magiſtra ſcientias edocti Maiores noſtri, iÿſdem informarentur poſteri. Bono igitur aptoque ſubſidio nobis prouiſum eſt, ſi Artes ingenuæ, ſi ſeruiles deperderentur omnino, in commune noſtrum vires reparante, & vices ſuas diuerſis fœtibus referente Natura. Singulorum longe diſpar ratio, ideoque minus optabilis. Non eius, non vllius intereſt ſeruare, aut ſeponere quempiam. Abſumuntur homines quotidie quà acerba, quà tempeſtiua morte, tolluntur à cœtu, ab amicis, extrahuntur à Magiſtratibus, & his diebus miſerrimè exitiali morbo ingruente deuorantur irritis vbique ſuorum lacrymis: nec eſt amplius, qui eumdem reducat, iterum addicat, actionibus, dictis moribus, inſtitutis vnà pereuntibus. Obliuio omnia occupat, æuum obſcurat. Nullum remedium apud nos, apud futuros

ros

ros mortalitas cuiuſque opperitur. Ita ſingillatim deſinimus, in vniuerſum manemus, & duramus. Homini cauetur, Petrus deſpicitur. Sola Hiſtoria illud ipſum, quod Natura generatim operatur in ſortem humanam, operatur in vnoquoque noſtrum, reficiendo nos, donandoque perpetuitate effigie actibus eoſdem vt viuentes ſpiranteſque. Annales demonſtrant, quales fuimus, dant videndos perinde ac viximus. Prudenter expetiti labores ad aliorum, & propriam famam! Immortales ſtudiorum calami, qui nos cum maioribus componitis, qui abſentes aduocatis, vultum vocem redintegratis, qui Bella, Regna, Reges, & præterita omnia reportatis ſub oculos. Quid igitur ſi tantopere omnes capiat amor, ſi deſiderium delectet legendi ſcrutandiue res geſtas, & imperitum etiam ſcriptorem in manibus verſari appetamus, vt anteactorum ſcenam venemur & conſequamur? Certe qui hoc intelligit & amat, fouet quæcunque huc pertinent. Verum ſi quiſquam hodie, Tu Eminentiſsime Princeps ille es. Non enim ſolum Latinorum & noſtratium, ſed Græcorum &

 ex-

exterorum codices tua celebri adſeruas Bibliotheca,& quæ nos latēt,luce & publico iure donas. Hac *ſpe* Octauij Pantagathi *Vitam Tibi trado conſignoque , Viri ſummorum ingeniorum teſtimonijs illuſtris . Non in alium ſui temporis ita conſpirant & coniurant , quàm in eum ad vnum omnes laudibus,ſed (ſi nō pro meritis) inſigniter certè exornatus explet animum ; at ipſe negligens ſui , nihil vigiliarum nobis reliquit , & penè eius memoria intercideret , niſi diuiſus , ac diſperſus inter plures extaret , ex quibus collectum hic apponimus . Iam mihi non eſt precibus laborandum , vt libenter excipias , fruſtra onerarem benignitatem tuam.Cauſam iuuat genius comparandi retinendique monumenta litteratorum & educendi litteratos ipſos : & iamdiu didicimus ope & auxilio tuo vitam ijs redijſſe , ſibique ſuperſtites ſpirare cum ſcriptis ſuis,numquam in poſterum fama deſituros , quæ ſi alijs nominibus , hoc vno amabilior ſuauiorque ſupererit Tibi quatenus in precio ius faſque memoriarum .*

VITA OCTAVII PANTAGATHI.

HOMINVM is error, & fallacia eſt, vt vnuſquiſque ſibi bona cuncta velit, felicitatem plenam præſumat, commoda omnia induat. At nimirum res ſecus accidit; vel nunquam, vel rarò compos votorum quis inuenitur, & pro beneficio plerumque pœna exigitur, malo precio miſeriarum ſæpe emitur proſperitas: Quantum tollimur, tamtundem præmimur. Amat lares ſuos ciuis, ſed vrgetur paupertate: diues fœnore abundat, æmulatione tabeſcit: decori ac dignitati inuidet, ignotus, deſitus, procul à faſtu, & à Magiſtratu: bellis mari terraque exercetur dubius victoriæ, & anxius Princeps. Octauius Pantagathus, de cuius vita, & moribus ſcribimus, adeo nactus ſublime, &

erectum ingenium, vt nemo profana, & ſacra, nemo tempora, origines, & inſtituta rerum, immo & ſcientiæ altiora tractare aptius, explicare felicius potuerit: nihil tamen ſcriptis exceptum ad noſtras manus permiſit, nihil ad noſtram diem pertulit; licet ad finem quædam produxerit, alia tantum inchoauerit. Paſſim ei triumphus gloriæ decernitur, laborum fructus non videmus. Inops in alieno recipitur, qui refundere vbertatem, qui copiam præſtare ſolitus erat. Ornamentis, & veſte caret, qui alijs ſuppeditarat. Doctrinas deſpondit, nuſquam fœtus educit parens: Præter leges, præter naturam etiam, in ſinu dum filios nutrit, ſunt qui ſine mancipatione ſibi adoptent. Sic ſortem humanam expertus, infelicitatem tolerat, qui felix: infœcunditatem ſortitur, qui fœcundus. Manet tamen apud ſui æui ſcriptores, celebraturque, ſed nomine tenus: parum accurata poſteritatis ſuperior ætas præter laudes eius nihil meminit; Nos vt potuimus reuocantes memoriam, hic Tibi damus amice Lector. Si ex

ſtylo

ſtylo minus probabitur, ea cauſſa certè placebit, quod cum videatur optimum, quod multum deſideratur, quod diu exquiritur, hic ipſe iamdiu expoſcitur.

Octauius Bagattus primò, Pacatus mox & Pantagathus, clarus patria, maioribus obſcurus, naſcitur Brixiæ, nobili Italię in Cenomannis Vrbe: pueritiam & adoleſcentiam pietate, ac bonis moribus, vel ex eo laudabiliter excoluit, quod cum per ætatem licuit Fratrum Seruorum Beatæ Mariæ Virginis inſtituto in Sancti Alexandri eius Ordinis Templo adſcribi voluit, dato ad experimentum conſtantiæ tyrocinio. Inde Lutetiam Pariſiorum, alteras Athenas, confirmata iam ætate ad Philoſophiæ, & Theologiæ ponenda rudimenta conceſſit. Incertum ſponte ſua an conſilio, vel iuſſu Præſidum Religionis, quibus curæ eſt æſtimare, & promouere Iuuenum ingenia, vt imbuta bonis artibus in vtilitatem, & vſum cedant. Exploratum certè eſt Octauij indolem vehementi deſiderio, quo nec difficilioribus, nec obſcurioribus retardaba-

dabatur (vnde plures diligentiam minuunt, operam frangunt) appetijſſe egreſſura modum, & auiditate occupaſſe inopportuna, quo ad ætatẽ. Multis iam tunc inſtructus auctuſque documentis latij ſermonis erat non apud Pomponium Letum Romæ, vt quidam ſuſpicati ſunt ex inſcriptione libelli de Magiſtratibus eiuſdem ad quemdam M. Pantagathum, cum Pomponius ſeculum quartum ſupra decimum non ſuperauerit, & tunc Octauius admodum puer erat, ſed apud doctos Magiſtros conijcere par eſt. Igniculi virtutum, & ſemina nobis indita à natura, inſtructoris arte excitantur, & commouentur, & Brixianus tractus ferax eſt Virorum, eloquentia & doctrina Clariſſimorum. facerem igitur Præceptorem humanarum litterarum Fauſtinum Ciuicum, vel Ioannem Brittanicum, vtrumque Brixianum, & doctiſſimum, & temporis, quo Octauius erat erudiendus, & propior vero ad mouerem eum, & adſcriberem Brittannico: is enim tunc præcipuus, & maximæ exiſtimationis ob commentarios in pręcla-

clariſſimos Poëtarũ, Ouidium, Perſium, & Statium; & quia in obſeruationibus linguæ Latinæ mirificè addictus habebatur. Sed Pariſijs Collegij Sorbonici Auditor in primis fuit, vtriſque ſatis congruum, ſatis aptum accidit, præceptoribus optimis, capax genius ſubditur. In hac ſede, & litteraria officina ſemper ſollicitus, ne ſibi tempus elaberetur, anxior, & intenſior agere, diſcere à ſolidioribus, ſequi doctiores, alios percontari, quibuſdam dubitationes anteponere, in aduerſaria multa referre, vnde inſignia Doctoratus Iuriſprudentiæ, & Theologiæ promeritus, & conſequutus, Magiſter mox declaratur, & vbi olim diſcipulus ea fama Theologiam docuit, qua facilitate didicerat. Hoc temporis non minus ornamenti ſibi comparauit ex neceſſitudine, & alloquijs eorum, qui omnem vim, & aciem ingenij in veteres Scriptores conferentes, eloquentiam, et artificium rimantur, ſignatis diligenter cuiuſque characteribus, dictionibus, moribus, inſtitutis: eoque plenus, & diues cognitionis euaſit, vt natum

tum cum ijs, quos legerat, indiſtinctè reputares, tam eos apte inſpiciebat, examinabatque. Nec vero Chriſtianos Auctores Octauius ſeorſim habuit, immò verò peculiari delectu ac nexu copulauit, quo facultates inuicem coniunguntur, & inter ſe iuuantur, ac Græci ſermonis etiam gnarus, Palliatorum ſapientum volumina indiſcretim cum noſtris retinuit. Studium litterarum, amorem artium liberalium, vbi ea altius ſe abſcondunt ac celant, ſemper ſibi Gallia auocauit, & in primis fouit Lutetia, tunc præcipue ſummis Capitibus Budæo, Scaligero Patre, Turnebo, Conano, alijſque, quorum ad exemplum properat iuuentus, & conformat ſe animus: cumque Pariſios confluat quidquid egregij per prouinciam ſpargitur, non dubitarim Octauium hinc omne decus doctrinarum deduxiſſe, & ad nos adſportaſſe. Sed nihil ſtimulabat magis pectus, nihil exagitabat acrius, quam commendatus fama, fortunaque ciuis ſuus Ioannes Franciſcus Quinzanus, qui in eadem Vrbe Rector, & Princeps Gymnaſij ele-

electus,dein FRANCISCI REGIS ſtudiorum ductor, omnium peritiſſimus audiebat, vel aſtrorum cæleſtium conſideratione, vel metricæ, & Poëſeos. Magna æmulatio hinc ei exorta, magna contentio ad profectum & imitationem. Interim obuerſante animo Italiam, & reputante natale ſolum, paullatim ſenſit ſe auelli à Gallia,reuocarique in patriam ab affectu omnibus communi, nulli non honeſto. Iam virtutis fama, quæ de ipſo percrebuerat, anteit reditum, atque vix iter remenſum, pars in eum officij ſalutare, alij benemerendi ſtudio ſpem offerre, intimus quiſque ſollicitari, ne moram interponeret ad capeſſendos honores. Cunctantem tamdem, & diu aſpernantem Ioannis Saluiati Cardinalis Florentini auctoritas & dignitas peruicerunt, animumque modeſtum, quietis, ac ſecreti cupidum ſuperarunt, in familiam, & clientelam Octauio adſcito. Sororis Leonis X. filius erat Saluiatus, natalibus æque, ac laude prudentiæ, virtutis amore, ſtudiorum amœnitate celebris: facilis inde conciliatio beneuolen-

uolen-

uolentiæ erga Octauium; ideo inter præcipuos, & caros apud ſe adlegit, & in rebus dubijs, ac difficilibus in dies magis eo vtebatur. Impoſitus iam tum Reipublicæ Florentinæ Dux & caput præſederat Alexander Medices. Aegre id ferens Saluiatus, ne ſub ſpecie retinendæ, vel conciliandæ pacis, munia & vim Senatus ad ſe trahendo, turbas maiores conciret, communi malo exitioque, auctor ei, ac ſuaſor acceſſerat, vt in ordinem redactus quietem potius domi ſuæ toleret; *Facilius* (dicebat) *priuata moderatione, ac prudentia mores compones, diſsidia ſedabis. Egregius ciuis ſi libertatem, qua noſtra Reſpublica creuit, hodieque conſtat, arripies: ſed tentabis fortaſſe, & inuades, num ſinent, qui honeſta probant, qui eumdem conatum ſecreto meditantur? Graues ſumus alijs, ſi pares, ſi æquales. Velint ne igitur arbitrium noſtrum, aut nutum ad moderandas fortunas, ad continenda capita?* Eiuſdem ſententiæ Nicolaus Rodulphius Cardinalis & ipſe Florentinus, nepoſque itidem ex ſorore Leonis X. familia & meritis conſpicuus, patriæ

liber-

libertati, qua cohortationibus, qua, argumentis fauens: *Manendo* (aiebat) *intra domeſticos lares patriam conſilÿs ſubleuando, tutioris & honeſtioris ciuis eſſe partes. deductam tot annis, bellis & internecionibus coalitam libertatem quis credat ciues noſtros vita, & ſanguine, non defenſuros? Omnes pariter hanc vim à natura, dominationem arcendi ab ipſis incunabulis docemur. An non eſt a parentibus, & a patria quidquid retinemus? reddendum igitur in ſummo eorum diſcrimine. Non opes, non vis argenti, aut auri, non Vita eſt huic debito par, & quodcumque irrogatur, precium gloriæ eſt.* Ita Cardinales ex humana conſideratione conſilia ac ſtudia dirigentes, res patriæ definiebant formabantque. Fatum interim res eaſdem arcanis ſuis aliter vrgens & expendens, præparabat faſtigium, & potentiam inſtruebat potiori & ſecuriori beneficio pacis & tranquillitatis. Recepti moris eſt, clientes, & contubernium Præpotentum omne non tam conſenſu ſequi Dominum, quam etiam ſi poſſis, ſenſu, & voce exprimere: Octauius verò vt ſen-
ten-

tentiam ſuam daret, homo a dominatione & faſtu alienus, ſecuritatem & quietem laudans & expetens, ſimilia protulerat; *Ne certa ac firmata aliquando poſthabendo, lubrica & incerta imprudens appeteret*. Turbata ex his omnis ſpei & fortunæ eius alea, accipientibus ijs, qui Alexandrum ſumma rei potiri, ſtudijs & factione optabant, ab Octauij ore & conſilijs Saluiatum, & ob neceſſitudinis vinculum etiam Rodulphium pendere. Inde odia in eum & machinamenta, quibus prohibitus ei fuit dignitatum aditus, & locus augendi commoda. Sed non vtique ab animis Cardinalium omnino cecidit. Virtus quatenus etiam oppugnationibus obnoxia ſit, non diù tamen iacet: nam experimento & fide in dies validiore Octauij, & veritate etiam conniſu ſuo prodente ſe, ingenuitas eius tandem patuit, innotuitque ipſi Saluiato, qui, vt omnem ſuſpicionem amoueret alieni erga eum animi, eo declarauit beneficio, quod cum quæreretur Abbas Marianenſis in Sicilia, eius opera in demortui locum Octauius ſuffe-

ctus

ctus eſt. Sed non eſt hic mihi reticendum, extare quædam acta, quæ nullius quidem prolatæ ſententiæ meminerint, verum quia noluit Saluiato ſuadere, vt depoſita huius negotij prouincia, ſibi ac ſuis curis vacaret, non minus Alexandri quam etiam poſtmodum Coſmi, quem ex eadem conſtantia idem Cardinalis detrahere conabatur, indignationem incurriſſe, eorumque fautorum odium prouocaſſe, qui eo acrius inſectantur, quo miniſtri fortunarum videri volunt, idque alicui animi vitio factum fuiſſe, vt diſturbatus ab honoribus diu aduerſam ſortem tolerauerit. Vtcumque res ſe habuerit, ſuperatis æſtibus non ſuo ingenio, quo non vtebatur niſi ad bonum & ſalutem, ſed modeſtia & patientia declaratus Abbas, non veſte & amictu Religionis dehinc inceſſit, at conceſſo tunc more, Clericorum conſuetudine vſus, occaſione nouæ Dignationis. Aperuit is dies aliud vitæ genus, in quo tamen, nec reprehenſione nec moderatione opus. Luxus, pompa, oſtentatio, ſuperflua aberant, oblectamen-

tum & deliciæ, vel lectiones, vel amicorum congreſſus, ac in ipſa præſertim Cardinalis domo, contubernales Lilius Gregorius Giraldus, Io: Baptiſta Pigna, Madius, &, dum Florentiæ moraretur, Petrus Victorius, quibus cum diſputationes linguæ Latinæ, & Græcæ, diſquiſitiones Philoſophicæ, Poëticæ, diſſertationes humanarum diuinarumque rerum in medium proponebantur. In hac Cardinalis clientela, ſtudiorum vigilijs lætus, patrocinio deſtituitur, Saluiato morte ſublato ſub annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum tertium, cuius obitu vtpote amantiſſimi & humaniſſimi Patroni vehementer conflictatur. Innotuit is mœror Venetijs Paullo Manutio, qui ad hoc ei datis litteris conſolatus eſt. Ante aliquot annos exceſſus Saluiati, Epiſtola Petri Victorij ad familiares Ciceronis, Benedicto Accolto Cardinali, Ferrariæ, Octauium addicit aſſignatque. Hic Cardinalis Aretinus patria, prudentia & litterarum nomine præcipuus, fortaſſe illuc diuerterat, vel negotij ſui cauſſa, vel Saluiati,

ti, aut ab eo datus ad explendum deſiderium amici & familiaris ſui, vt mos eſt ſummorum Virorum, officijs & beneuolentia certare. At luctu, & orbitate grauatus Romæ conducta domo, ſuppellectili honeſta, cenſu ex Sicilia aliquandiu vixit, ſpectabilis ob eamdem exercitationem virtutum, & morum integritatem procul à turbis, procul à negotijs, à potentum liminibus, niſi ſtatis temporibus ad redimendam contumaciam ab obſequio & reuerentia pertractus; donec Religioni, & obedientiæ tandem redditur. Edicente enim Paulo Quarto Pontifice, ne amplius vagi & diuiſi agerent, qui legibus & inſtitutis initiati tenerentur, dicto parens, dimiſſa ſtatim libertate, ſepſit ſe clauſtro S. Mariæ in Via, eoque ſeceſſu adeo delectatus, numquam ſatiatus, vt raroinde pedem extraxerit. Non alias magis eius vultus in iucunditatem, animus in gaudium iuit. Vidiſſes apud eum dimenſa tempora, partitum diem, aſſignatis horis vnicuique rei, diſpoſitis actionibus, diſtinctis humanis ſacriſque negotijs, ſilen-

ctio loqui, ſolitudine meditari, ſecula reuocare, tempora conciliare, ſectas Philoſophorum ſtabilire, opiniones examinare, dicta expendere, nihil vitæ ſuæ perire. Per hæc veſtigia ſtudia reuoluendo, ad incepta quondam, eadem redibant referebantque ſe, luſtratis Scriptoribus, remenſa Bibliotheca. Quorumdam etiam commentarij in Gymnaſio Romano ferunt iuuentutem ab Octauio publice exultam, & per aliquot annos ibi profeſſum, ſed vt id receptum vulgo eſt, ita non mihi conceſſum Pontifice Leone X. an Clemente VII. operam præſtiterit, in qua certe expetenda vel ipſi etiam Pontifices multum laboris, nobilitas multum vtilitatis, eo ſollicitiores reponere, quo difficile erat eloquentia, & eruditione parem ſufficere prȩmio vel delectu. Verum in tam diuturna tractatione ſtudiorum, in tam longa doctrinarum exercitatione & facilitate illud vnum, quod omnes ſummopere concupiſcunt, manſuram nempè famam nouo exemplo, & parum admiſſo, mirum quantum neglexerit. Nihil enim vmquam edidit,

dit, nihil in lucem emiſit. Eripuit nobis ſui gloriam, Patriæ, et Religioni ſplendorem detraxit, fortaſſe non ſine offenſione, & iniuria iuſtitiæ, quæ amicis, & ciuibus, immo & generi humano noſtrorum laborum emolumentum, & vigiliarum impertiri admoneret nos. deſidiam non crediderim, quæ identidem obrepit, inertiam non appellauerim, quæ ab animis ingenuis exulat: reputauerim potius modeſtiam vel contemptum ſui, quibus par non eſt cuiuſuis conſilium, etiam eorum, qui ſapere videntur. Verum nec culpa ſtatim eſt damnandus is, qui ſcripſit, ſi non vulgauerit; qui lucubrauit, ſi non ediderit. Certum eſt Octauium multarum rerum commentarios elaboraſſe, multa variarum rerum digeſſiſſe, alia quamplurima de ſuo excogitaſſe, quæ ſi minus publici iuris facta ſint, operarum incuria, exſcriptorum negligentia, temporum calamitate impedita, ſæpe fallunt auctorem, ſæpiſſime eundem perpoliendi

riam, cæteris vtilitatem. Nominatur inter alia præſertim eius operum Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſeries ſeu Catalogus temporum, quam Chronologiam vocant, ſignatis Imperatoribus, Regibus, Concilijs, Pontificibus. Hiſtoriarum folia, ſiue fragmenta apud Cæſarem Baronium mox Cardinalem aſportata narrat Octauius Roſcius ex ipſius voce, vt erat homo candidus, et veritatis amator, qui inſuper manu Pantagathi aſſeruit, et aſpicienda obtulit. Notitias verò rerum Romanarum, & Antiquitatum ad manus Onuphrij Panuinij perueniſſe vulgi fama eſt, & Roſcij opinio. Nuper ex Bibliotheca Vaticana humaniſſimus vir Lucas Holſtenius ingenio excultus ſuper omnes, et diligentia commendatus in exquirenda potiſſimum omnis æui antiquitate, quaſdam ſchedas variarum rerum, et obſeruationes conceptas tantum, non expolitas tractandas, et euoluendas D. Carolo Morono, mihique conſignauit. Multa àlia notata et ſcripta domique coaceruatim habita, et poſt mortem erepta, et diſperſa aſſerunt etiam nunc

Pa-

Patres ſui Ordinis,quæ in manibus imperitorum contempta vt vilia,& neglecta fuerunt, vel in poteſtate Eruditorum alijs ſuppoſita iniquo iure Patrem mentiuntur. Sed paſſim apud Criticos apparet acre inprimis eius ingenium, perſpicax iudicium in emendatione,& interpunctione Ciceronis, Cæſaris, Liuij, & aliquot Poëtarum: nam plurimas huiuſmodi ei acceptas ferunt. Onuphrius ea ingenuitate tam aperto animo, vt non paginas, non libros, ſed vniuerſam doctrinam, refundat, & redonet. Ac licet Hieronymus Mercurialis Medicorum probatiſſimus, dum explicat Thermas Vitruuij in exercitationibus Gymnaſticis,*doctiſsimũ ſanctiſſimumq;* appellet, & Iuſtus Lipſius Eruditorũ ſcientiſſimus in Plauti verbis *virum Magnum,& altum, qui eſſe doctus eligeret,quam videri*; plenius,cęteris Paullus Manutius & pauciſſimis implet nos, deliberat ſe: *Octauius* (inquit) *Varro eſt noſtri tẽporis*. Hæc digna æſtimatio eius virtutum, liberet diligentiam inquiſitionis meritorum, conſolatur deſideriũ

deſignatum habemus,& abunde repręſentatum nouimus. Effoetus poſtremum longo ſenio, & valetudine imbecilli, properæ mortis admonitus eadem hilaritate exuit mortalitatem, quà diu retinuerat: Supremis ſuis Chriſto Domino, & Beatæ Virgini Mariæ ſub qua militauerat ſe ritè commendans commune debitum placide exoluit,datis ante multis diebus hæredibus Auguſtino, & Io: Antonio Ricciardis. Romæ vita functus apud S.Mariam in Via,ibidem conditur addito Elogio marmore expreſſo,quod in Porticibus interioris Domus ob nouam Templi conſtructionem translatum hodie videmus.

Tert. Kalend. Auguſti anni Milleſimi quadringenteſimi nonageſimi quarti Alexandro VI. Summo Pontifice Octauij Natalis dies fuit; Mortis XIV. Kal. Ianuarij ſexageſimi ſeptimi ſuperioris ſæculi. Vixit ergo annos tres & ſeptuaginta, menſes quattuor, dies viginti: Adoleſcens Bagatti cognomen gentis ſuæ retinuit, verum cum nihil ei ad guſtum, nihil ad aures reſponderet, immo eo ętiam offenſus,

reic-

reiecit cum exprobratione tamquam ludicræ rei vocabulum, ſumpſitque aliud Pacati ſuauioris, an ſibi aptioris notæ, non diſcreuerim. Gulielmus Sirletus Cardinalis, M. Antonius Muretus, Paullus Manutius ex condicto Pantagathum ſignificatione nobiliori vocitarunt, & aſſenſu, ore, ſcriptis paſſim vulgus poſtea agnouit, & probauit. Inſuper Agnomen ex humanitate accepit, quod alij ex deuictis Populis vel Prouincijs, & PATER nuncupatus, hoc tantum nomine per Vrbem denotatus, & creditus eſt vnus Octauius: tantæ enim comitatis & affabilitatis ad conciliandos, & deliniendos animos erat, vt in eo ſedem habere has virtutes credideris. excipiebat illos, alios alliciebat, omnibus ſe profundebat, dum in vtilitatem, nihil ſibi retinebat vel docendo, vel conſulendo. Sub tempora Paulli Quarti ſumma prudentum iudicia, meruit, quibus Cardinalem futurum promittebant, & fortaſſe Pontifex, voto, & deſtinatione non

Guglielmum Sirletum Cardinalem, Antonium Auguſtinum, Paullum Manutium, Carolum Sigonium, Onuphrium Panuinium, Fuluium Vrſinum, Baſilium Zanchum, M. Antonium Flaminium, Benedictum Aegium, Gabrielem Faërnum, Latinum Latinium, Hieronymum Mercurialem maiora lumina eius ſæculi, in quorum omnium ſcriptis reperire eſt, memoriam Octauij, eoque magis de eorum iudicijs æſtimandum, quo ſummi viri non inſeruiebant auribus in ſpem mercandæ laudis, cum enim nihil in publicum committere ſolitus, virtuti proferebat ſententiam ſuam. Si delectat corporis habitum nouiſſe, ex effigie quam vſq; Brixia Eminentiſſimi FRANCISCI CARDINALIS BARBERINI auctoritas conquiſiuit, cognoſces: facies non rotunda, non oblonga, non gracilis, ſed bene compoſita: Statura procera, non tamen indecens, carne ſubalbus, oculis ſubniger, ſemper eum bonum, & doctum præſumeres. Vir Magnus comparatione aliorum ſui æui, quia nempe alter So-

cra-

crates voce prompſit, ore iuuit; noſtri minor: non enim habemus quidpiam quod nobis repræſentetur, aut proponatur, atqui manſuris poſteritas fruitur. Cæteroqui tradetur eius gloria reputantibus, omnia non vni aduenire.

FINIS.

D. O. M.

F. OCTAVIO. PACATO. BRIXIENSI

SODALITATIS. SERVOR. OBS. SODALI

VIRO. ANTIQVAE. PROBITATIS

TANTIQ. ERGA. OMNES. OFFICII

VT. VNVS. IN. VRBE

PATRIS. COGNOMINE. COLERETVR

AVGVSTINVS. ET. IO. ANT. RICCIARDI

HAEREDES. EX. TEST

AVVNCVLO. BENEMERENTI

P

VIX. AN. LXXIII. M. IIII. D. XX

OBIIT. AN. SAL. MDLXVII

XIIII. CAL. IAN